



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

[I.] Tractatus De Profectu Spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

R. P.

FRANCISCI
ARIAS, E SOCIE-
TATE IESV,

TRACTATVS DE PRO-
fectu spiritali.

P R A E F A T I O.

VT intelligatur, quàm necessarium,
quantumq; momenti sit, eos, qui se-
mel vera pietatis exercitationi se dedi-
derunt, rectè informari, quemadmodum
semel inchoatam piè viuendi rationem
constanter persequantur, progressumq;
indies in diuino seruitio faciant, ac me-
dia in eundem finem necessaria & salu-
taria vsurpent: principio declarandum
est, quàm gratus sit Deo huiusmodi pro-
gressus, quantumq; commodorum tam
spiritualium, quàm temporalium in
Ecclesiam Christi, & Rempubl. Chri-
stianam inuehere possit, ob ingentem
caelestium beneficiorum copiam, qua
Deus tales remunerari & locupletare
solet.

A 7

CA-

2 TRACTATVS DE

CAPVT I.

QVAM GRATVS SIT DEO HO-
mo profectus spiritualis studiosus.

Certum est quemuis hominem iu-
stum, hoc est, gratia diuina prædi-
tum, quocunque tandem in gradu gra-
tiæ sit cõstitutus, corã Deo esse admodũ
gratum & acceptum. Verũ si collatio
inter iustos instituatũ, magnum in-
tercedit discrimen : nec enim obscu-
rum est eos qui diligentes, feruentes-
que sunt, & in dies conantur in cursu
pietatis progressum facere, eaque o-
pera imprimis exercere, quæ Deo no-
runt gratissima, maiore loco, gratio-
resque esse apud Deum, quàm sint alij
multi, licet iusti, qui de profectu pa-
rum solliciti, id tantum cauent, ne le-
thali aliquo lapsu diuinam maiestatem
offendant. Similitudine res fiet cla-
rior. Sit Dominus, cui famuli sint quin-
quaginta, mandat omnibus vt ad quo-
tidiana ministeria Domini forisq; sint
prompti, exeuntem comitentur, nihil
alienum surripiant, imperata in omni-
bus faciant: Sed hac adiecta cautione,
vt si quis notabile furtum fecerit, si in
nego-

negotijs magni momenti ipsum, vel alios graues viros fraudarit, si seruorum aliquem vulnerarit vel pulsarit, norit se capite noxam luiturum, vel in perpetuas triremes compingendum: Sin in leuioribus tantum deliquerit, etiam si sibi eis ne bilem commouisset, vel molestiam aliquā procreasset, nō ideò aut vita priuandum, aut domo seruitioq; abigendum, sed leuiori pœna multandū, vt relegatione in duos tresue menses, vel stipendij consueti imminutione. Ex his igitur famulis, quadraginta nouem veriti, ne discrimen vite incurrant, aut ædibus exturbentur, aut gratia & beneuolentia Domini excidant, multa quidem clā surripiunt, sed parui pretij, crebrò mendaciolis, alijsq; fraudibus Dominū circumueniunt, sed leuiorib. à mutuis verberibus & pugnis quidē abstinent, sed non à clamorib. & rixis. Vnus verò tantū famulus est, qui studio ductus Domino placendi in omnibus, nihil omittit quod Dominum offendere possit, ne minimam quidem rem alienam in suum vsum conuertit, nullo mendacio fallit, mandata sedulò præstat, etsi tarditate aliquando delinquat, mox vbi sese collegerit, lapsum

4 TRACTATUS DE

corrigit : neque solum imperata facite
ne Dominus succenseat, sed etiam ope-
ram nauat, vt faciat, quicquid gratuna
illi esse cognorit, optatque exploratos
sibi esse intimos animi eius sensus, vt
possit ea præstare, quæ ipsi forent gra-
tissima iucundissimaque. Iam liquet
hunc vnum famulum Domino, si rectã
rationem sequatur, gratiorem esse de-
bere omnib. reliquis quadraginta no-
uem, & ideò plus beneficiorum in
eum conferre, quàm in reliquos. Cum
igitur in Deo recta ratio summum
perfectionis gradum obtineat, nihil
mirum videri debet, si ex seruorum
ipsius numero alij alijs sint gratio-
res.

Omnes enim qui in gratia Dei exi-
stunt, nullaq; ratione profectus habi-
ta, id modò cauent, ne per peccatum
mortale ea excidant, sunt similes dictis
quadraginta nouem famulis. Nam si-
cut hi, licet nihil admittere velint, vn-
de Dominus eorum ansam arripiat, eos
vel è medio tollendi, vel amandandi
ad perpetuas triremes, tamen non re-
formidant eum leuioribus quibusdam
erratis ad iram prouocare: Sic illi de-
cernunt quidem nullum graue crimen
desig-

PROFECT. SPIRIT. 5

designare, quo diuina gratia & gloria
 cœlesti destituantur, & sempiternis in-
 ferni addicantur supplicijs, sed tamen
 non abstinent à peccatis leuibus & ve-
 nialibus, quibus sciunt quidem of-
 fendi Deum, verùm eousque, vt
 propter illa tantum in Purgatoriū ig-
 nem detrudantur: sed neque student
 bonis operibus, alioquin Deo gra-
 tissimis, vacare: multis quoque pijs
 inspirationibus obsequi negligunt, di-
 uinaque consilia, quæ conuenienter
 suo statui magno cum fructu serua-
 re poterant, repudiant: ac denique
 peccata quædam, quibus Deum non
 parum offendunt, licet lethalia
 non sint, nonnunquam flocci faci-
 unt.

At qui ita in gratia Dei viuit, vt om-
 ni studio conetur progressum facere in
 virtute, hic similis est illi vni famulo,
 qui non solum Domini sui mandatis
 paret, verùm etiam omnia illi officia
 vltro defert, quæ putat esse gratissima.
 Hic fidelis & diligens seruus Dei non
 solum operam dat cauendis lapsibus
 mortalibus, sed etiam venialibus, eò
 quòd ijs quoque offendatur Deus, & si
 fortè per incuriam in aliquod veniale
 deli-

6 TRACTATUS DE

delictum labatur, ex tempore dolet & resipiscit. Aurem quoque diuinis inspirationibus, quibus Deus voluntatem suam patefacere solet, præbet, eisque obsequi conatur. Et quoniam in magno pretio habet eiusdem consilia, multa quoque ex illis obseruat. Ad hæc crebris misericordiae, humilitatis, poenitentiaeque operibus quæ scit Deo esse pergrata, licet nulla lege imperata fuerunt, libentissimè se exercet, ut tanto amplius diuinæ maiestatis beneuolentiam sibi conciliet.

Ex his seruis ingentem Deus in Ecclesia sua numerum habet, sed alios alijs sanctiores & prouectiores: qui oculos diuinitatis suæ conuertens in id quod ratio lexque æterna postulat, hunc seruum diligentem & proficendi desiderio flagrantem pluris æstimat, quàm magnum numerum lentorum & tepidorum, maioremque ex huius vnus, quàm cæterorum omnium officijs & ministerijs capit voluptatem. Nec mirum. Sæpenumerò siquidem contingit vnum aliquem Dei seruum fructus spiritualis cupidum, velut quotidie maiorem semper

ac-

PROFECT. SPIRIT. 7

accessionem facit ad gratiam, & amorē
 Dei, ita plus gratiæ consequi à Deo,
 quā alios quā plurimos, qui nulla co-
 gitatione de quotidiano fructu susce-
 pta, languidè Deo seruiunt. In hanc sen- *Gre. hō 34*
 tentiam B. Greg. alijsque sancti exponūt *in Euang.*
 illud dictum Christi: *Maius gaudium est Beda in*
se in celo super vno peccatore penitentiam a- *Luc. 15.*
gente, quā super nonaginta nouem iustis, qui Bouau ib.
non indigent penitentiā. Volunt enim il- S. Tho
 lud intelligi, non de quolibet peccato- *Calet.*
 re pœnitentiam agente, sed de eo qui
 intimo animi sensu ante actæ vitæ erra-
 ra deplorat, & magno feruore nouā vi-
 tæ rationem est ingressus. Quod si de
 quouis peccatore, quæ multorū est opi-
 nio, intelligatur, tunc nomine *maioris*
gaudij, accipi nō debet gaudiū essentia-
 le vel principale, quod nascitur ex æsti-
 matione & amore rei de qua gaudem⁹,
 (Sic enim Deo angelisq; maius gaudiū
 esset de iusto maiori gratia prædito, quā
 de peccatore pœnitentiā agente, (sed
 accipi debet gaudiū nouū & accidēta-
 le, quod nasci solet ex recuperatione rei
 amissæ Si verò hoc dictū exponam⁹ cū
 B. Greg. & alijs de peccatore qui deserta
 peccādi statu, magno feruore Christia-
 nā pietatem colit, tūc collatio institui
 de-

TRACTATUS DE

debet, non cum quocunque iusto, sed cū ijs qui languidè & negligentè Deo seruiunt: vt dicto Christi hæc subiecta sit sententia. Apud Deum meliore loco esse seruum, sedulo & seruenter officio suo fungentem, etiamsi paulò ante grauibus obstrictus fuerit peccatis, quam nonaginta nouem iustos, lentè & frigidè salutì suæ studentes.

Id declarat S. Gregorius his verbis consideratione dignis: *Considerandum, inquit, nobis est fratres mei, cur Dominus plus de conuersis peccatoribus, quàm de stantibus iustis gaudium esse fateatur. Vnde hoc, nisi quod ipsi per quotidianum visionis experimentum nouimus, quia plerunque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt: stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad caelestem patriam anxie non arhelant, tantoque sibi in rebus licitis vsu præbent, quanto se perpetrassè nulla illicita meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia valdè sibi securi sunt, quod nulla commiserint mala grauiora. At contra, nonnunquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso dolore suo compuncti inar-*
def

PROFECT. SPIRIT. 9

descunt in amore Dei, seseque in magnis virtutibus exercent cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumelijs letantur, flagrant desiderio, ad caelestem patriam anhelant: & quia se errasse à Deo considerant, damna praecedentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo de peccatore conuerso, quam de stante iusto gaudium fit in caelo. quia & dux in praelio pius eum mihi item diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga praebuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quae post spinas vberes fruges profert, quam eam, quae nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem missem producit. Sed inter haec sciendum est, quia sunt plerique iusti, in quorum vita tantum est gaudium, vt eis qualibet peccatorum penitentia proponi nullatenus possit. Nam multi & nullorum sibi malorum sunt conscij, & tamen in tanti ardoris afflictione se exercent, ac si à peccatis omnibus coangustentur. Cuncta etiam licita respuunt, ad despectum mundi sublimiter accinguntur, licere sibi nolunt omne quod libet. Bona sibi amputant, etiam

tiam

tiam concessa, contemnunt visibilia, invisibilibus accenduntur, lamentis gaudent. In cunctis seipfos humiliant, & sicut nonnulli peccata operum sic ipsi cogitationum peccata deplorant. Quid itaque istos dixerim, nisi iustos & pœnitentes, qui se & in pœnitentia de peccato cogitationis humiliant, & recti semper in opere perseverant. Hinc ergò colligendum est, quantum Deo gaudium faciat, quando humiliter plangit iustus, si facit in cœlo gaudium, quanto hoc quod malè gessit, per pœnitentiam damnat iniustus. Hęc omnia Gregorius.

Quibus verbis, quasi cœlesti face prælata, perspicuè declarat magno in pretio apud Deum esse, qui cum sollicitudine fructum spirituales colligendi illi seruiunt, eique plurimum aridere studium & feruorem, quo conantur in virtute progressum facere. Deinde eosdem, quantumuis recenter è grauiù peccatorù sentina emerferint, & initiù tantù seruiendi Deo fecerint, cariores Deo esse, multis iustis tepidis, & sui profectus nullam curam habentibus. Quod autem ait: nullam peccatorù pœnitentiam anteposendam vitæ iustorum feruentium, verissimū est secundum

PROFECT. SPIRIT. II

dum legem ordinariam. Dicitur verò non potest, quantum valeat huius doctrinæ cognitio, ad faciendum in cursu veræ pietatis processum. Quis enim si vel scintillam amoris vnicam in se hebeat, non optet Deo afferre voluptatem, quã ille maximam capit ex feruore & studio proficiendi nostro? Eius siquidem cib. lautissimus est, teste S. Bern. *pasci inter li- Cant. 2. lia, ut est in Canticis, hoc est candore & Ber. se. 71. odore virturũ delectari: pasci escis, quibus libenter vescitur, profectibus nostris.*

Si ergò profectu nostro tãto operè oblectamus diuinam maiestatem, tamq; gratum illi opus præstamus, non est quod vel excellentiùs aliquod bonum exoptemus, vel ad maiorem gloriam aspiremus. Tantum enim bonum est, placere Deo, ut meritò S. Chrysostr. scribat in hæc verba: *Si, inquit, omnino dignus fueris agere aliquid, quod Deo placeat, aliam ne require mercedem, præter hoc ipsum, quod placere meruisti. Si enim requiris mercedem, verè ignoras quantum boni sit placere Deo: Si enim scires, nunquam aliud aliquid extrinsecus mercedis aut muneris expeteres. Quibus verbis non dehortatur nos ab expectanda bonq-*

Chry. l. 2. de comp. cordis.

12 TRACTATUS DE

bonorum operum mercede: nam & illam expectare expetereque licet, modo id imprimis propositum in animo habeamus, ut Deo placeamus: sed tantum id indicare voluit, idque verissime, tam excellens bonum esse, placere Deo, ut si alia nulla supererent, non magnopere ea requirere debeamus.

CAPUT II.

DE TESTIMONIIS QUIBUS

Deus declaravit sibi gratum esse studium in virtute proficiendi.

Quando homo auctoritate & sapientia præstans crebrius, & magna contentione quippiam ab amicis suis petit, non obscure indicat, se magno studio illius rei consequendæ teneri, gratissimumque futurum si postulata concesserint. Sic Dominus Deus, ut declararet, quanto opere optaret nos magnos progressus facere in cursu virtutis, magnoque studio & diligentia iter semel ad cælestem Hierusalem suam ceptum nulla mora interposita proficere, toties à dilectis suis servis, verbisque tanto affectu & gravitate plenis id quondam

dam postulauit . Ad Abraham enim Patriarcham , cum è patrio solo eduxisset, dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus.* *Gen. 17.*

Ambulare coram DEO aliud non est , quàm vitam piam sanctamque instituere, non solum secundum hominem exteriorem, qui ab hominibus cernitur, sed etiam, idque præcipuè , secundum interiorem, quem solus Deus intuetur: id enim est, quod Beatus Paulus vocat , *Spiritu ambulare.* *Gal. 5. 22*

Postulat Deus ab Abraham , vt sanctè religioseque viuat , scilicet eo studio & industria adhibita, vt semper magis magisque proficiat , donec in perfectum Heroa euadat . Quòd verò in veteri testamento DEVS exegit ab Abraham, idem ab omnibus fidelibus, verisque Euangelij seruis exigit in nouo dicens : *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* *Mat. 5.*

Quorum verborum hic sensus est . Contendite ad perfectionem charitatis, omniumque virtutum, vt tanquam filij imitemini Patrem vestrum cælestem : idque non alio modo, quàm quo potest creatura imitari quadantenus suum Creatorem.

Hoc vehemens de nostro in virtute
B pro

14 TRACTATUS DE

Col. 1.

profectu desiderium impressit Deo
cordi B. Pauli Apostoli, qui tanquã cę-
leste quoddam Dei organum sic locu-
tus est ad Colossenses: *Ex ea die, qua
audistis, & cognouistis gratiam Dei in veri-
tate, sicut didicistis ab Epaphra carissimo
conseruo nostro, qui etiam manifestauit no-
bis dilectionem vestram in spiritu, non cessa-
mus pro vobis orantes, & postulantes, vt
impleamini agnitione voluntatis eius in om-
ni sapientia, & intellectu spirituali, vt
ambuletis dignè, Deo per omnia placentes,
in omni opere bono fructificantes & cres-
centes in scientia DEI, in omni virtute
confortati secundum potentiam claritatis eius
in omni patientia & longanimitate cum gau-
dio*

Idem desiderium patefecit DEVS,
illa voce cęlitus à Sancto Ioanne
audita. *Qui iustus est iustificetur ad-
huc, & Sanctus sanctificetur adhuc. Lu-
culentum siquidem hoc testimonium
est, quo Deus perspicuè declarat, si-
bi placere, vt ne serui sui langui-
dè iter cęleste prosequantur, sed
in dies progrediantur longiùs, &
in virtute proficiant, quandoqui-
dem sua diuina & immensa maiestas
dignata est reipsa tam sigillatim hoc
desi-*

desiderium suum nobis detegere.

Non paruum quoque momentum habet ad stabiliendam hanc veritatem, perpendere, quanti DEVS eiusmodi seruos suos faciat, quanto in pretio, & honore habeat, vt si alij omnes qui trepidè & negligenter officium hominis Christiani præstant, cum his conferantur, minimo vel potius nullo apud Deum loco esse videantur.

Quamuis enim certum sit Deum Optimum tam singulari, suauis ac profusus paterna ac pia cura fouere omnes fideles gratiæ suæ non expertes, vt nullam in tota hac vniuersitate, nisi erga istos prouidentiam exercere, salutem illorum tantum promouere videatur, tamen erga eos fideles, qui seruentes sunt in diuino cultu & quotidie accessionem aliquam facere ad priores virtutes conantur, tot tantaque prouidentia, intimique amoris argumenta prodit, varijs spiritus donis eos ornando, ab impendentibus tentationibus tuendo, precesque eorum & desideria exaudiendo, vt veri & germani eius filij, & dilectissimi amici esse præ cæteris existimari queant. Id verissimum est, quamuis omnis qui in

gratia Dei degūt sint amici & filij Dei, tamen hos speciales, atque imprimis percaros esse eiusdem filios & amicos.

EXO. 3.

Confirmemus rem paucis exemplis. Dubium non est inde ab Abrahamæ temporibus vsque ad Moysen, hoc est, trecentis eoque amplius annis quamplurimos homines toto orbe terrarum, ac imprimis inter filios Israel in gratia Dei vixisse, & diem extremum clausisse: & tamen Deus perinde, atque si illorum omnium oblitus esset; trium tantum, qui sibi charissimi fuissent, nomina Moyse prodidit. Nam cum ei apparuisset in deserto, dixit se appellari Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob, iussitque eo nomine se apud populum Israel vocari, hoc nomen sibi fore perpetuum, eodemque omnibus retro sæculis nuncupandum. Sicut enim Reges & Principes magni huius mundi nomenclaturam sibi assumunt ab urbibus quas maximè charas in toto regno habent: Sic DEVS nomini suo inferi maximè voluit eorum nomina, quos, dum viuerent, singulari præ cæteris iustis amore & tutela prosecutus fuisset.

Itaque

Itaque dum appellauit se speciatim Deum Abrahæ, Deum Isaac, & Deum Iacob, palam mundo declarauit, præstantes illos & sanctos viros magno loco semper apud se fuisse, eorum singularem curam habuisse, multis beneficijs & donis locupletasse, ac denique promissioni semel illis factæ, eorumque posteris, satisfacturum esse.

Verùm & declarauit hac nomenclatura se vnumquemque illorum trium in magno pretio habuisse: nec enim nominauit se Deum omnium trium simul, Abrahæ, Isaac, & Iacob, sed particulatim Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob. Nec solum hoc nomen in deserto patefecit Moyse, sed & voluit illud in toto populo Israelitico, imò in toto mundo vsurpari in orationibus alijsque diuinis laudibus, vt perpetua apud omnes memoria exstaret se Abraham, Isaac, & Iacob pro singularibus suis seruis & amicis habere. Quod autem Deus illos tres tam honorifica appellatione alijs hominibus pijs prætulerit, non alia causa fuit, quàm quod illo sæculo præ alijs in virtutum studio progressum fecerint, perfectius-

que diuinam voluntatem zelando pro gloria Dei, præstiterint.

*Auct. ca-
tene in
Exo. ca. 3.
Dio Cart.
ibid.* Moyses æuo certum est multos ho-
mines pios; Deoque gratos fuisse: si e-
nim in discessu ex Aegypto tam nu-
merosus erat populus, vt sexcenta
millia eorum essent, qui vigesimum
ætatis annum superarant, præter
fœminas omnis ætatis, & iuuenes
qui vigesimum non attigerant, atque
Exo. 12. etiam præter Aegyptios, qui deserto i-
dolorum cultu populo Dei se aggre-
garant; sic vt scriptura appellet vulgus
innumerabile: dubitandum non est in
tanta fidelium multitudine, quæ le-
gem Dei, eiusque Sacramenta venera-
batur, ac oculis suis miranda Dei opera
propter ipsos patrata spectarat, copio-
sissimum numerum adultorum in v-
troque sexu extitisse, qui immunes ef-
sent à lethali peccato, & in gratia Dei
viuerent. Et tamen videmus solum
Moysem, quia perfecta virtute præditus
erat, cauebatque non solum grauibus,
sed etiam leuibus lapsibus diuinã ma-
iestatem offendere, atque in ijs pieta-
tis operibus sese exercere, quæ norat
Deo esse gratissima, vt in contumelijs
lijs

lijs & iniurijs populi fortiter tolerandis, in caritate quoque ardenti omnibus æquè inimicis atque amicis deferenda: videmus, inquam, eum omnibus alijs sanctis & pijs fidelibus à Deo ob hæc elogia prælarum. Nam cum aliquando decreuisset totum populum ob scelera admissa funditus delere, nullo habito ad innoxios, qui in illo supererant, respectu, vel quia per aetatem ad peccandum impotentes essent, vel quia peccato cæterorum non consensissent, ob solum Moysen à cæde abstinent, eique soli dixit: Dimitte me, vt ira mea in populum defæuiat. Quid, quæso domine, retardat te, quo minùs omnes è medio tollas! num tot innocentum turba, quæ nunquam deliquit? num Leuitæ tuæ gloriæ tuendæ studio flagrantes? Non certè, sed vnus Moyses omnipotentæ tuæ manus cohibet, tuæque iustitiæ furorem, ne omnes disperdas, auertit. O quantum placet Deo, videre seruos suos in dies magnum in virtute facientes progressum? si tanti facit eos, qui ad veræ pietatis culmen peruenerunt.

3 Reg. 15. Elia quoque tempore multi super-
17 18. erant serui DEI, quos DEVS in
Rom. 11. media impiorum turba beneficio
Ans ibid. gratiæ suæ immunes ab omni sce-
Iac. 5. re seruarat, vt indicat diuina scri-
 ptura: & tamen vnum ex omnibus
 Eliam tanti fecit, vt dederit illi po-
 testatem in tempora & nubes, ne im-
 bres dimitteret in terram, ad castigan-
 dam hominum improbitatem, & rur-
 sum vt sua oratione, quando vellet,
 pluuiam de cœlo quasi euocaret. Quia
 enim excellenti virtute præditus e-
 rat, idcirco pluris illum Deus fecisse
 videtur, quàm reliquos omnes iu-
 stos.

Quo verò tempore Dauid & Salo-
 mon imperabant, tanta accessio fa-
 cta erat ad populi Iudaici multitudi-
 nem, vt Salomon ipse loquens cum
 Deo, testatus sit factam innumerabilem
 quasi puluerem terræ, non potuit, non
 maxima suppetere fidelium copia, qui
 gratiæ diuinæ compotes essent, & in
 numero iustorum. Et tamen quia vnus
 rex Dauid, ad fastigium perfectio-
 nis peruenerat, voluntati diuinæ se-
 dulò paruerat, magno zelo amplifican-
 dæ Dei gloriæ exarserat, lapsus suos,
 licet

licet graues, voluntarijs poenis deleuerat, gratiamque amissam recuperarat. Deus omnib. reliquis suis seruis posthabitis, Salomoni, quem vnà cum populo ob patrata scelera de medio tollere decreuerat, dixit: *Disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verum tamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud Nectotum regnum auferam, sed tribum vnã dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Hierusalem, quam elegi.* Similiter Ezechiam regem infirmũ mortique proximum per Isaiam Prophetã dominus sic allocutus est: *Ecce sanauit te, die tertio ascendes templum domini, & addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam urbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.*

Quis poterit dignè exprimere horũ testimoniorum mysteria? hoc est, quanto in pretio sit apud Deum homo virtute præstans, peccatorum hostis, bonorum operum ardens sectator, patiens iniuriarum, charitate in proximum flagrans, & magnus diuinæ gloriæ amplificator? Tanto enim hono-

re eiusmodi hominem prosequitur ut etiam in cōmunionē nominis sui illū admittat, vocando se Deū illius: ac ne vlla re eum contristet, etiā integro partit rēgno, precibusq; eius quasi victus legi naturæ se subijcit, ut in creaturis suis fiat, quicquid illi placuerit. Denique propter illū solū facit, quod nō faceret propter multos iustos, qui imperfectè ei seruiunt: cumq; ipse infinita æternaq; sit præditus maiestate, homo verò creatura è nihilo, tamen ob solam hominis voluntatem dignatur se quodam modo exæquare creaturæ, dicens: *Protegam urbem istam propter me, & propter David seruum meum.*

CAPVT III.

QUANTVM PROSINT ECCLESIE Catholice serui Dei, qui in virtute proficiunt.

ET si iusti omnes, & serui Dei quotquot gratia diuina non exciderunt, toti mystico Ecclesie corpori plurimū profint, vtpote qui partim precib. suis, partim operibus bonis à Deo singulæria dona & beneficia impetrēt, quib. & peccatores conuertuntur, & iusti con-
ser-

seruantur longè tamen ampliùs prosūt
 in virtute perfecti: iusti enim oēs licèt
 sint viua Ecclesiæ membra, & filij lucis,
 hi tamen sunt veluti oculi in corpore
 humano, & quasi stellę quędã in firma-
 mento, imò velut Sol & Luna, qui sunt
 instar quorundã oculorũ vel lampadũ
 totius vniuersitatis. Sic eos appellat
 diuina scriptura multis in locis. Nam
 B. Paulus in epistola ad Philip. *Sitis, in-*
quit, in medio nationis prauę & peruersę; in-
ter quos lucetis sicut luminaria in mundo.
 Et Christus Dominus declarauit in
 Apocal. B. Ioanni Euangelistę, stellas
 quas manu dextera gerebat esse Præla-
 tos & Magistros sanctos, quos ibi vo-
 cat Angelos Ecclesię. Hi enim tanquã
 Heroes excellentes virtute præditi, do-
 ctrina sua, & imprimis exemplis vehe-
 menter excitant, accenduntque alios ad
 amorẽ virtutũ, sic prorsus, vt vnus ex
 ijs solus sufficiat ad conuertendum iu-
 tegrũ regnum, illudque in timore Dei
 conseruandũ. Quò non pertingũt suo
 exemplo tepidi, quamuis enim operam
 dent, ne animã lethali labe inquinent,
 tamen quia nulla cura tangũtur cauẽ-
 dorum leuiũ, nec in operib. caritatis &
 pœnitentię frequentandis sunt seduli.

Dan. 12.

Phil. 2.

Apoc. 1.

paucos ad amorem Dei prouocant .
 Nam ad conuertendos vel erigendos
 eos, qui in crimen mortale lapsi sunt,
 ordinariè opus est exemplo admodum
 potenti & efficaci : ad accendendos
 verò languidos exemplo raro & nota-
 bili : quod quia præbent imprimis
 homines in virtute perfecti , idcirco
 tantoperè permouent proximum ,
 & Deus eis tanquam instrumentis
 ad excellentia opera præstanda uti-
 tur.

Greg. l. 25. Vnde Beatus Gregorius: *Ad reno-*
mor. ca. 7. uandum spiritum mentis nostræ, valdè, in-
 quit, *exempla Patrum adiuuant . Si enim*
sanctorum opera inspiciamus, illa contempla-
ta nos succendunt , & cor nostrum torpo-
re non constringitur, dum imitatione prouo-

Iud. 2. *catur* Illustrè huius doctrinæ testimo-
 nium præbet sacra Iudicum historia,
 quæ refert mortuo Moyse & Iosue fi-
 lios Israel permultis annis perstitisse
 in vero Dei cultu, sed demum dimis-
 se Dominum Deum Patrum suorum,
 qui eduxerat eos de terra Aegypti. Cau-
 sam verò huius rei commemorat fuis-
 se, quod quamdiu in populo supersti-
 tes fuissent aliqui de senioribus glo-
 riæ diuinæ amplificandæ studiosi, qui-
 que oculis suis miranda Dei opera spe-
 ctarant.

clarant populum in timore Dei eorum doctrina & exemplo fuisse conseruatum: quando vero illi è viuis excesserunt, nec pari virtute ornati succederent alij, à veteri Religione & pietate degenerasse. Eodem pertinet, quod diuina scriptura recenset in quarto Regum, de rege Ioa, qui primis annis regni sui, quod in quadragesimum vsque annum tenuit, piè regnauit, suoque exemplo rotum populum in vero Dei cultu continuit. Causam autem huius rei tribuit sancto Pontifici Ioadæ, qui primis illis annis doctrina sua & zelo non passus est regem à via recta deslectere. Nam eo mortuo Rex subito præuaricatus est, & populum à legitimo Dei cultu abduxit. Atque hic est admirandus fructus quem magni Dei serui efficiunt in Republica & yniuersa fidelium Ecclesia.

4 Reg. 12.
 2. Par. 24.

Iusti omnes, qui in gratia Dei viuunt, licet exigua virtute præditi, sunt tamen petrae viuae Ecclesiae Christi, & edificationem huius domus, & templum spirituale Dei, eiusque conseruationem, teste B. Petro, promouent. Ve-1. Pet. 8.

rum homines Dei, qui in virtute pro-

B 7. fece-

fecerunt, sunt huius ædificij columnæ, quæ apud Deum illud sustentant, & conseruant, atque vnitum tenent cum lapide angulari Christo Iesu capite, & principe totius Ecclesiæ, vt appellatur in diuina Scriptura. Ieremiæ prophetæ dixit Deus: *Dedi te hodie in columnam ferream & in murum æreum*, id est, ingens robur & virtutem tibi in meo populo contuli, ad tuendum conseruandumque bonos, & expugnandum malos. Et S. Ioanni dixit Christus. *Qui vicerit, faciam illam columnam in templo Dei mei*: ac si diceret. Dabo illi virtutem ad sustentandum alios. Hinc liquet, quantum Ecclesiæ profint serui Dei profectus spiritualis studiosi: Sicut enim in materiali ædificio, subtracta aliqua columna, magna pars propendet in ruinam, sic quando Ecclesiæ Dei eripiuntur serui Dei amore zeloque Dei feruidi, magna sequi solet animarum iactura, vt dum in Republica vel regno piæ consuetudines abolentur, contra verò vitia & abusus detestandi pullulant, ac cum pietate etiam vera religio in apertum discrimen, nemine resistente, vocatur.

Atque idcirco Deus, qui tantoperè
quæ

Ierem. 1.

Apoc 3.

quærit salutem nostram, quoties peccatis populi grauius offenditur, & à sua iustitia quasi vindictam contra illum exposcit, optat in medium prodire, homines qui se iræ suæ opponant, & manum vlticem precibus suis à populi clade auertant. Quod sæpenumerò indicauit per Prophetas. Nam cum per Ezechielem grauiissima scelera, quibus populus diuinæ iustitiæ furorem prouocarat, commemorasset, exponens desiderium suum, *Quæstui, inquit, de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos.* Non loquitur hic Dominus de quouis viro iusto, neque enim verisimile est omnes in tam numerofo populo gratia diuina excidisse, sed de viro eximia virtute ornato, vt exponit S. Hieronymus. hi siquidē sunt, qui precum suarum, vitæque sanctæ vi & efficacia impetum iræ diuinæ frangunt, & velut columnæ humeris suis totum populum sustentant.

Aliàs quoque cum Deus constituisset castigare Hierosolymitanos, & regnum Iudæ in manus Chaldæorum tradere,

Ezech. 22

*Hier in 5.
22. Ezech.*

Jerem. 5. dere, vt propter scelera quibus diuinam ipsius maiestatem irritarant, illud euerterent, & funditus excinderent, sic locutus est ad Ieremiam: *Circuite vias Hierusalem, & aspiciate, & considerate, & querite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & querentem fidem, & propitius ero ei.*

O quanto loco apud Deum est, quam in conspectu eius gratus homo in virtute perfectus! nam si talem aliquem etiam in medio innumerabilium improborum, qui internecionem meruerunt, conspexerit, non tamen è medio tollit, & diuinæ suæ iustitiæ manum iam in eos exertam cohibet & coercet. Vnde B. Hieronymus iure in hunc lo-

Hieron. in c. 5. Jerem. cum scribens exclamat: *Grandis amor iustitiæ, vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ, & responsionem DEI pro decem viris iustis Deus liberauerit ciuitatem, sed si vnum inuenerit, iam iamque peritura Ierusalem, qui faciat iudicium & querat fidem.*

Bern. Iust. in eius vita.

Multa huius rei exempla inuenimus in historia Sanctorum tempore beati Laurentij Iustiniani Patriarchæ Veneti, Deus Venetorum vrbi ob graua scelera quæ in ea perpetrabantur, grauiter
suc-

succensuit. Precabatur pro ea dictus B.
 Laurentius inibi degens. Bellum ex-
 arsit inter Venetos & Mediolanenses.
 Incolebat id temporis locum deser-
 tum & horridum insulæ Corcyræ fi-
 nitimum Eremita sanctus, spiritu vati-
 cinandi præditus. Hunc Venetus qui-
 dam vir primarius agens in Corcyra a-
 diit, & percunctatus est, num bellum
 illud sæliciter cessurum esset Venetis?
 Cui respondit. Deum vehementer ira-
 tum esse Venetis, quod ex verbi diuini
 prædicatione nullum fructum collige-
 rent: eosque iampridem instar Sodo-
 mæ perituros fuisse, nisi precibus sui
 sancti Patriarchæ furor diuinus auer-
 sus fuisset. Non dubium est tunc tem-
 poris Venetijs multos extitisse probos
 homines mediocri virtute præditos, &
 tamen solius B. Iustiniani, qui erat ho-
 mo in virtute perfectus, Deus rationem
 habuisse videtur.

Illustris quoque & admodum cele-
 bris est sanctitas Simeonis Sali, cuius vi-
 tã descripsit Leontius Episcopus Nea-
 politanus in Concilio Niceno secundo
 citatus, velut vitæ eius auctor. Hic Si-
 meon degens Emesæ, & Sanctitatem
 vitæ stultis operibus cælans, multa ad-
 mi-

miratione digna in summum sui contemptum, & in salutem corporalem, & spiritalem proximi faciebat. Nocturnum tempus in precibus, cum multa lacrymarum profusione consumebat. Cum autem aliquando contigisset Emeſanum quendam ciuem Hierosolymam tendentem in ſolitudinem ingredi, vt ibi ſe Abbatis Ioannis precibus commendaret: Abbas olim Simeonis ſocius, quaſiuit vnde veniret: cumque cognouiſſet venire Emeſa, in haec verba ei reſpondit: Miror te cum Emeſa habeas Abbatem Simeonem, ad me hominem vilem & abiectum diuertere, na non ego ſolum, ſed etiam mundus totus indiget illius precibus.

○ quam utilis eſt Eccleſiae, animarum ſaluti, rebus publicis & regnis eximia vnius hominis ſanctitas, cum videamus homines ſanctos, maxima diuinarum rerum notitia praeditos teſtari quanto loco apud Deum ſint huiusmodi homines, quotque beneficijs Eccleſiam ſuam & omnes Republicas propter ardentibus eorum orationes, vitæque merita afficiat, Fideliffimæ huius doctrinae teſtis eſt D. Ambroſius qui hactenus dicta confirmat his verbis: *Quantum*
beata

beata ciuitas, quæ plurimos iustos habet, *Amb. l. 2.*
 quàm celebrabilis ore omnium, quomodo de Cain &
 benedicitur tota de parte, & beatus at- *Abel c. 3.*
 que perpetuus eius status existimatur. *Quàm & 4.*
 gaudeo, cum aliquos mites ac sapientes
 diu viuere video, cum virgines castas,
 viduas, graues aspicio longæuas velut quan-
 dam in canam Ecclesie curiam prætendant
 ipso quodam vultu & specie grauitatis,
 quod reuereantur, quod imitentur, quo, ad
 omnem morum gratiam colorentur. Non
 enim ipsis gaudeo, cum viuendo multa sube-
 ant tædia seculi huius, sed quia profunt
 pluribus. Similiter cum aliquis huiusmodi
 decidit, quamuis longa senectute, depositus
 afficior, quia destituitur, grex iuuenum
 muro senili. Addit hos sanctos homi-
 nes, tam viros, quàm mulieres pecca-
 toribus & alijs exigua virtute præditis
 constitutos esse à Deo in lege veteri
 quasi ciuitates refugij, in, quas cum de-
 linquunt, se recipere possint ac tandem
 concludit in hæc verba: Denique perituræ
 vr̄bis, aut malorum imminentium, vel futu-
 ra labis hoc primum indicium est, si decidant
 viri consultores, veletiam grauiores. fæminæ.
 Hinc primùm ingruentiũ porta aperitur malo-
 rum. Hucusq; S. Amb. Vnde intelligimus
 quãti intersit Ecclesie Christi, si fideles
 qui

qui Christianæ pietati semel operam dare cœperunt, conentur in ea indies maiores facere progressus & ad omnium virtutum perfectionem contendere.

CAPVT IV.

QVAM VTILE ET NECESSARIUM sit omnibus Dei seruis pro donis à Deo cuiq; communicatis in cursu virtutis progressum facere.

Quamuis omnibus Dei seruis ad amplectendum toto pectore hoc proficiēdi studium satis esse deberet, quod tam gratum sit Deo, tamq; fructuosum toti Ecclesiæ: tamen quia magnopere refert scire, quæ commoda ex eodem fonte redundant in ipsos, breuiter exponemus, quàm utilis & salutaris sit cuiq; iusto amor & cura proficiendi; quamque perperam sibi consulat, qui curam illam negligit. Ad iter autem in via cœlesti rectè instituēdum, plurimum valet integra & plena peccatorum, & grauitatis eorum notitia, occasionum quoque & tentationum ac laqueorum, quibus anima nostra ab
ini-

PROFECT. SPIRIT. 33

inimico irretiri solet. Hoc verò benefi-
 cio ornare solet imprimis DEVS om-
 nes profectus spiritualis studiosos.
 Quamdiu enim homo in cursu pieta-
 tis languidior est, nec nisi grauibus la-
 psibus cauendis inuigilat, licet non i-
 gnoret, quæ sint peccata grauia, omni-
 busque manifesta, tamen alia multa
 loco peccatorum non habet: quædam
 etiam grauiora æstimat leuiora, occa-
 siones item nonnullas ac tentationes,
 vnde procliuis est ruina in scelera, peri-
 culi latentis ignarus, pro nihilo ducit:
 denique licet lapsus quosdam sciat esse
 lethales & mortiferos, tamen non pon-
 derat quantum inde exurgat damnum,
 quamque grandis noxa sit infinitam
 Dei maiestatem offendere. Vt primum
 verò pigritiæ laqueos diruperit, & di-
 ligenter cœperit vacare veræ pietati,
 declinando ab omni malo, quod tale
 esse cognorit, bonaque omnia, quæ gra-
 ta Deo esse sciuerit, perficiendo, DEVS
 mox oculos animæ eius aperit, luceque
 admirabili collustrat, qua cernat multa
 quæ antè non aduerterat, notetque
 peccata & tentationes, & præcipitia eo-
 rundem, quæ nunquam antea notarat.
 ac demum tantum non miratur, ho-
 minis

minis vitam tantis obnoxiam esse periculis, ingenueque agnoscit quantam quisque salutis suæ curā habere debeat, diuinumque in omnibus implorare auxilium.

Prou. 4:

Atque hoc est quod diuina scriptura his verbis significat: *Iustorum seruitas, quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem.* quasi diceret: sicut lumen prima diei aurora exiguum est, augefcenteque die crescit, donec ad perfectionem, quam in meridie habet, peruenerit: sic vita iustorum in primis initijs lumen exiguum habet ad cognoscendā bona & mala, sed procedente tempore cum incremento virtutum accessionem facit ad priorem lucem, donec pertingat ad claram cognitionem æternitatis, in qua Deus clarè in suo ipsius lumine conspicietur. Hoc beneficium à Deo communicari omnibus profectus sui studiosis confitetur S. Isidorus, dum ait peccata, quæ incipientibus videntur leuia, ijs qui in virtute profecerunt videri graua, & idcirco eos non solum à vanis iuramentis, sed etiam à simplici mendacio abhorere: prouectiores verò non modò cauere mendacia, sed magno studio quoque defu-

*Isid. l de
sum. bon.
c. 10.*

*Bonau lib.
I. Pharet.*

§. 31.

defugere colloquia ociosa. Sic. B. Isidor.

Ut verò maiori desiderio flagremus proficiendi in ista bonorum malorumque notitia, quam Dominus communicare solet suis dilectis, audiamus quomodo B. Augustinus alicubi depingat hominem ex peccati statu tam perfecte ad veram conuersionem morum traductum, vt omnes, qui illum ante nouerāt in admirationem rapiantur, & Deum collaudantes dicant. Qui quondam erat tam impius & sceleratus, modò quomodo Deo seruit, quàm innocēs factus est. Subiungit enim, illum hominem, etiā si à peccatis discedat, quæ cognoscit, non tamen effugere omnia peccatorum pericula & occasiones, quia eorum, sicut & multorum aliorum vitiorum scientiam nondum est consecutus, sed neque animaduertere & notare ea posse, nisi proficiendi cupiditate teneatur: hoc enim clartus & scandala & pericula à quouis pio perspici, quo plus proficere conatur, & vbi viderit exclamare ad Deum: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quod ideò clamat, quia optat liber esse à peccatis, & in numerum eorum referri, qui nec peccant, nec amplius peccare possunt.

Ab

Aug. in
psal. 119.
in verb.
Sagitta.

Ab hoc beneficio, quod Deus confert proficientibus, manant innumera alia beneficia diuina & munera. Quemadmodum enim huiusmodi serui Dei progressum faciunt in agnitione odioque peccatorum, atque etiam in lumine rerum cœlestium, sic etiam maiores indies accipiunt vires ad benè agendum, Deo conatum adiuuante. Vnde fit, vt qui initio viribus spiritalibus defecti difficultatem magnam & pugnam in multarum virtutum exercitatione sentiebant, post progressum aliquem factum magnam in iisdem experiantur & facilitatem & dulcedinem: quod sanè non ex ipsorum operum, sed solius cordis mutatione euenit, quippe cui robur maius ad benè agendum accedit. Idem affirmat Propheeta Isaias, cum ait: *DEVS sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pernas sicut aequi-*

Isa. 40.

PROFECTV SPIRITVALI. 37

*aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabūt,
& non deficient.*

Hæc est magna illa fortitudo, hæc cordis generositas & vigor, quem DEVS communicat in cultu veræ pietatis progredientibus: auget enim in illis rerum spiritualium gustum, bonæ conscientiæ puritatem & gaudium, in ærumnis patientiam, in verbis & exemplis efficaciam, amorem & gratiam in adiuuandis proximis, accumulaturque illis cœlestia sua dona & charismata, atque cum gratia & amore diuino copiosissimam notitiam mysteriorum donorumque diuinorum. Etenim hominem iustum in seruitio diuino proficere, aliud non est, quàm donis ac beneficijs è manu DEI acceptis bene uti, & gratiam aliquam pro tanta clementia & misericordia diuinæ maiestati repèdere, ut hac grati animi significatione noua beneficentia nos dignos reddamus. Id significauit Dominus, cum in parabola quadam commemorat, hominem quendam nobilem conuocatis decem seruis, singulis dedisse decem minas, & dixisse: *Negotiamini, Luc. 19. dum venio: haud secus enim Deus fidelibus suis seruis dona confert, mandat-*

C

dat-

datque vt ijs rectè vtantur ad salutem
suam & proximorum . Deinde idem
nobilis, illi, qui negotiando vna mina
decem minas acquisierat, iussit dari om-
nes minas eius, qui nihil negotiando
acquisierat: sic Deus sua dona & benefi-
cia, nouis cumulat in ijs, qui benè vete-
ribus fuerint vsi , & progressum ali-
quem eorum auxilio fecerunt. Vnde &
concludit totam parabolam hac ad-
miranda sententia: *Dico vobis, quia omni
habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem,
qui non habet, & quod habet auferetur ab
eo.* quasi diceret: *Quicumque bonis &
beneficijs diuinis rectè fuerit vsus, eum
Deus pluribus maioribusque affi-
ciet beneficijs; qui secus,
eum ijs, quæ habet,
spoliabit.*

CAPVT V.

Quàm salutare & necessarium sit in virtutum studio proficere, ad cauendum periculum & incommodum tepiditatis.

Vulgata Sanctorum sententia est, non progredientes in pietatis cursu retrogredi, & quæstus in vita spiritali facti iacturam facere. Existimant nimirum ex incuria & negligentia proficiendi mox sequi multorum bonorum operum, quæ facere tenemur, neglectum: & contra in multa peccata, quæ cauere tenemur præcipitem lapsum, ac consequenter pristinum ardorem in vita piè sancteque transigenda, paulatim excidere, & gradum fieri ad ea peccata, quibus gratia & amicitia diuina prorsus ab animo nostro depellatur. Confirmat hanc sententiam beatus Gregorius his verbis: *Admonendi sunt qui inchoata bona minime consummant, vt cauta circumspeditione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cæpta conuellunt, Si enim quod videtur gerendum,*

Greg. Past.
p. 3 c. 35.

sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi more nauis contra ictum fluminis condescendens, vno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad imarelabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est pugnat. Hæc Gregorius. Ex quibus verbis facile intelligitur, quanti referat, seruum Dei dare operam quotidiano in virtute profectui.

*Bern. ep. 91.
ad Abbates.*

Verum quàm necessarium sit eidem magno studio contendere ad maiorem perfectionem, quantoque periculo retrogrediendi se exponat qui id negligit, præclare exprimit Sanctus Bernardus: Non habemus, inquit, hic manentem ciuitatem, aut ascendas necesse est, aut descendas, si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. Et in alio loco ait: Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni: nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potest. Quod si Christo

*Idē ep. 252.
ad Garinum*

sto currente gradum sistis, non Christo
 appropias, sed te magis elongas; timen-
 dumque tibi est, quod ait David. Ecce
 qui elongant se à te Domine peribunt. Sic *Psalm. 72.*
 Bernardus. Esto, non semper, aut gra-
 tia diuina, aut pristina bonitate desti-
 tuatur, qui proficere desinit, tamen
 viam quasi parat ad lapsum, & quia la-
 psui proximus est, idcirco S. Bernardus
 dixit eum desinere esse bonum. Esi e-
 nim negligentia proficiendi sub ini-
 tium non exæquet lethalem noxam,
 quæ penitus gratiam tollat, tamen par-
 tem aliquam de bonitate adimit, & par-
 uus quidam lapsus est.

Neque sacra Scriptura conticuit, in
 quantum periculum & lapsus, & iactu-
 ræ omnis lucris spiritualis sese isti per
 incuriam suam conijciant. Nam quo-
 dam in loco: *Qui molis, inquit, est &*
dissolutus, in opere suo frater est sua opera dis- *Prou. 31.*
spantis. Sensus est, qui in bono inchoa-
 to non proficit, suaque opera bona non
 facit studiosè & perfectè, similis est illi,
 qui omnia abiicit quæcunque lucra-
 tus est. Et alibi eadem scriptura ita lo-
 quitur. *Pigredo immittit soporem, & a-* *Prou. 12.*
nima dissoluta esuriet, quasi dicat, vt bene
 declarat S. Gregorius. Sicut pigredo

Greg. 3 p. pa-
stor. admon.
16.

facit vt homo sine necessitate obdormiscat, & ignauia in operando facit vt homo patiatur famem, aliarumque rerum inopiam: Sic torpor in vita spirituali in anima excitat soporem quendam spiritualem, quo homo quasi omni bonorum operum, consolationumque spiritualium ac cœlestium sensu destituitur, & solas sectatur voluptates terrenas. Vnde fit, vt ei neque meditari, neque loqui de Deo libeat, non solitudinem, non orationem, non sacramentum, non lectionem, nullamque capiat ex virtutum exercitatione delectationem; sed contra totum se dedat cupiditatibus rerum caducarum, oculosque & aures pascit vanis & curiosis colloquijs, vnde procliuis est lapsus in crimina, quæ hominem penitus ab amicitia & gratia diuina diuellunt.

Apoc. 3.

Atque hæc est poena formidabilis, quam Christus cuidam tepido comminatus est in Apocalypsi, dicens: *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere.* Calidum vocat, teste beato Gregorio, qui sedulus & ardens est in vita pia & sancta: frigidum verò, qui obnoxius quidem est peccato mortali, sed magna

gna spe tenetur euadendi illud. Tepidum autem appellat, qui coepit seruire DEO quidem, sed languidius in suscepto semel pietatis cultu progreditur, nec operam dat, vt faciat in virtute progressum. Qua expositione significat, etiamsi maior culpa sit frigidi, quam tepidi, eius grauitate spectata, tamen tepido maius quodammodo impendere periculum, si eorum rationem habeamus, quæ solent eiusmodi hominibus tandem euenire. Nam frigidus in peccato mortali existens, spem de se præbet, si conuersus fuerit, magnæ in diuino seruitio diligentia & feruoris. Videmus enim multos magnos peccatores in magnos sanctos iam olim commutatos. Ceterum de tepido metus est verus & probabilis, eum cum omni gratia exutum iri, qua semel amissa tam cæcum futurum, & obstinatum in malo, vt difficillimè in viam reuocari possit, non quòd ex parte DEI potestas aut voluntas eum sanandi desit, sed quia ex parte sua tam longè absit à desiderio postulandi à Deo auxiliij: atque etiam tam imbecillis, vt postulare non velit, aut valeat.

Quare non loquitur loco citato Dominus de quocunque peccatore frigidus, sed de ijs, qui peccatorum suorum grauitate perculsi magna humilitate, & dolore animi conantur emergere è malorum profundo, vt verbis illis hæc sit subiecta sententia. Vtinam feruens & sedulus esses in meo seruitio: aut quia non es, Vtinam vel tantam profectus, vel salutis spem præberes, quantum præbent multi peccatores, quam tamen non præbes: imò quia tepidus es & negligens, magno in periculo versaris, ne & mea gratia in hac vita, & æterna gloria in altera excidas. Hæc damna sunt propria eorum, qui in vita piè sanèque inchoata progressum facere negligunt, hæc pœna ingrati animi: nam quemadmodum gratitudinis est, beneficijs acceptis bene vti, & fructum aliquem ex illis decerpere: (cuius fructus hæc merces est, vt Deus ob grati animi significationem nouis donis & muneribus pro immensa sua liberalitate priora sua beneficia cumulet, vt supra dictum est) sic summæ ingrati tudinis est, abuti beneficijs diuinis, nullumque ex ijs fructum carpere. Vnde sequitur, vt talibus DEVS iuxta culpæ gra-

grauitatem paulatim omnem beneuolentiam, omniaque spiritalia auxilia subtrahat, ac denique omnibus gratiæ ornamentis spoliet, detrudat pro ingrati animi meritis ad eas pœnas, quas promeruit seruus inutilis: qui cum talento accepto negotiari noluit, cui Dominus sustulit talentum, æternisque tenebris eum in prædam abiecit.

CAPVT VI.

CVRAM IN VIRTUTE PROFICIENDI conuenire non solum incipientibus, sed etiam proficientibus, & perfectis.

Posset fortè aliquis in eam inclinare sententiã, vt arbitretur proficiendi studium ijs tantum necessariò incumbere, qui initium fecerunt Deo seruiendi: sed non est ita, cum ad omnes prorsus fideles id pertineat: imò quò quis maiori studio profectus faciendi ardet, hoc perfectionē in omni virtute maiorem se assecutum demonstrat, hi siquidem sunt, qui summa quadam fame & siti proficiendi laborant, qui omnia media & remedia in-

dagant non solum legibus præcepta, ut de fugiendis quouis genere peccatorum, de obseruatione Decalogi diligenti & sedula, verum etiam libera, & per modum consilij proposita, ut eo citius ad culmen perfectionis attingant. Etenim, quamuis verum sit homines sanctos cognoscere suum in virtute profectum, nunc quia, ut habet sanctus Gregorius, quotidie vitam suam suspecti examinant, & mores præsentis cum præteritis conferentes, deprehendunt se à multis peccatis & animi perturbationibus liberatos, virtutum quoque opera tam interna, quam externa multò promptius, quam aliàs, cum & voluntas & vires spirituales abessent, exercere. Nunc etiam, quia sancti agnoscunt quot quantisque donis coelestibus à Deo ornati sint: (auctore enim Spiritu sancto nòrunt quæ à Deo illis donata sunt teste Apostolo) Inter quæ dona non minimum locum tenet, ardens in proficiendo desiderium, nò tamen idcirco pluris se aestimant, quam prius, sed potius minoris, maioriq; contemptu seipso; persequuntur, & in dies maiori zelo ad perfectionem aspirant.

Causa

Greg. lib. 25.
mor. c. 6.

2. Corint. 2.

Causa huius rei est: quòd quòd homines pij & sancti maiores processus in virtute faciunt, hoc à Deo plus lucis accipiunt ad agnoscendos defectus suos, eorumque grauitatem quam ante non cognoscebant. Et quemadmodum hominis vilitas & miseria est immēsa quedam abyssus, eò quòd obnoxius sit peccato, & de nihilo conditus, sic magis magisque proficit in cognoscenda vilitate sua atque miseria, ipsoq; nihilo ex parte sua habet. Et sicut proficiendo in virtute, amplius quoq; proficit in sui cōtempriu, sic quoad sanctitatem maiore prouehitur, hoc humili⁹ de se sentit. ita affirmat S. Gregor. non semel: cū scribit seruos Dei, quòd per bona opera propinquiores fiunt Deo, hoc clarius animæ suæ maculas conspiceret, & suam indignitatem, eoq; amplius semetip-
 sos arguere & abominari, non solum propter defectus & lapsus suos, quos animaduertūt, sed etiam, quia probè nōrunt multas restare noxas, quas solus Deus in ipsis cognoscat. Qua etiam de causa, vt idem S. Doctor perhibet, piè ordinauit De⁹, vt serui sui perfecta virtute præditi contra suam voluntatē adhibeantur Ecclesiæ gubernaculo, cogā-
 C 6 turque

Greg. libr. 9.
 mor. c. 19. &
 lib. 15. ca. 21.
 & l. 21. c. 4.

Greg. 5. mor.
 c. 4.

turq; conuersari cum proximis, vt dum alios ad perfectionem verbo & exemplo cohortantur, in suorum defectuum notitiam veniant, atque ita & melius se cognoscant, & submissius de se sentiant. Vnde sæpenumerò fit, vt vbi se existimabant maximam pietatis iacturam facturos, & demolituros quicquid ante ædificassent, ibi misericordiæ diuinæ beneficio accessionem magnam faciant ad virtutes, & bonis spiritualibus supra modum locupletentur.

A D H A E C eiusdem lucis beneficio, vti augetur profectus in sanctis, sic clarius potentiam & bonitatem Dei infinitam omniaque eius attributa & perfectiones, ac quantò honore & reuerentia dignus sit, cognoscunt: Vnde sequitur, vt se quoque accuratius cognoscant, & humiliter de se deinceps sentiant, quandoquidem liquidius certant, quàm longè absint à perfectione, quam habere debent, quotquot DEO cum dignitate & fructu spirituali seruire concupiscunt. Id sanctus Augustinus

*Augustinus l. de significare voluit, cum scripsit: Multum
sp. r. & lit. c. in hac vita ille profecit, qui quàm longè sit
36. à perfectione iustitiæ, proficiendo cognovit. Vnde fit, quòd tam parui se faci-
ant,*

PROFECTV SPIRITVALI. 49

ant, vt se tanquam puluerem terræ despiciant, quemadmodum confitetur S. Gregorius, dum ait, sanctos homines, *Greg. lib. 25. mor 6.2.* quo in cognitione Dei amplius proficiunt, hoc plus se contemnere, haud secus quasi nihil essent, vel propemodum nihil.

Hinc verò etiam id sequitur, pios, dum plus proficiunt, maiore porrò desiderio flagrare fructum faciendum quia perfectius cognoscunt se esse ad id obligatos, tum quia vires ampliores in eam rem adepti sunt à Deo, cui intelligunt hunc conatum suum esse gratissimum. Etenim cur, quæso, homo iustus non teneatur studio proficiendi in Dei seruitio, qui puris animæ suæ oculis, & infinitam Dei bonitatem, & misericordiæ maximæ testimonia, & eximium amorem, quo se prosequitur, perspicit? qui scit se hoc studio incredibilem cōciliare voluptatem diuinæ Clementiæ? eoque vberiore, quo constantius in eadem voluntate persistit. Quomodo non conetur omnem lapidem mouere seruus DEI ad perfectionem omnium virtutum consequendam, qui potest claro & præsentis iudicio, omni animi

perturbatione exclusa plenè æstimare valorem, vel vnus gradus in amore diuino? neque enim pretium eius aliud est, quam ipse Deus, quem amore acquirimus, & amore possidemus. Deinde, qui non ignorat hunc amorem esse thesaurum infinitum, omnis mensuræ, limitumque expertem, cum in amore Dei nullus sit modus, neque mensura. Et qui scit, quo in virtutum schola plus profecerit, hoc maiorem in amore illo accessionem faciat, ac proinde firmiter per gratiam & gloriam Deo perfruatur, quem beneficio amoris possidemus? Qui oculi, talia contuentes, non delectentur tanta pulchritudine? Quòd cor, hæc sentiens, & degustans, non ardeat tanti boni desiderio?

Psal. 76.

Egregiè hunc profectus spiritualis prouentum intelligebat sanctus Rex David, cum diceret: *Et dixi nunc capi: hæc mutatio dextera excelsi.* Ille post multos annos in cultu pietatis exactos, cum sedulò diuina beneficia sibi collata perpendisset, occasionesque, quas habuisset numen diuinum colendi: tamen tandem ingenti animo & fiducia hic decernit, à nouo inchoare vetera
pieta;

PROFECTV SPIRITVVALI. 51

pietatis officia, nouoque ardore perficere, ac simul ingenuè confitetur hoc studium suum non à se, sed à sola potenti manu Dei proficisci. Multos annos impenderat in seruitio diuino, & tamen iam fatetur se primum incipere: nam vt in hæc verba Ambrosius Ansb. in c. bertus scribit, profectus in virtute, 12. Apocal. quem faciunt electi, nō est aliud, quam initium seruiendi Deo, & quotidie dicuntur incipere, quia omnib. temporis momentis virtutem virtuti solent adiungere.

Milites boni, vbi semel initium fecerint congregandi cum hoste, etiam si hostem irruere videant, terga non vertunt, sed pergunt fortiter dimicare, quamdiu præsidia sociorum non desunt, & spes magnorum affulget spoliorum. Nautæ quoque, dum mare transmittunt, contra aduersos, & obluçtantes fluctus cursum suum retinent, donec in portum tranquillum perueniant. Si id homines faciunt ob caducarum, & temporalium rerum quæstam, quanto æquius serui DEI, qui iter cœleste ingressi sunt, nullis difficultatibus, ærumnisue reuocari ab instituto semel cursu debent,

bent, sed potius de virtute in virtutem
progressum cōtinenter facere, cum ad-
iutorem habeant CHRISTVM ve-
rum Deum, qui suppeditet vires ad iter
continuandum, merita quoq; suæ pas-
sionis offerat, in quibus confidant. De-
inde auxiliatores habeant omnes san-
ctos, qui pro ipsis intercedant. Denique
firmissima maximaq; spe nitantur vi-
ctoriæ, & præmij cælestis omnibus vi-
ctoribus promissi.

A Equum & iustum est, vt ducem ea
in re sequamur S. Paulum Apostolum,
qui post tantos labores pro religione
Christiana propagāda exantlatos, post
tot merita in cælis collecta, tamen ni-
hil illa pendenda putavit, vt aspirare
posset ad sublimiora. Ita enim alicubi
loquitur: *Fratres, ego me non arbitror
comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem
retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ
sunt priora extendens meipsum, ad desti-
natum persequor, ad brauium supernæ vo-
cationis Dei.* Quæ retro sunt, inquit
Beatus Chrysostomus, appellat præ-
teritæ vitæ bona opera: *Priora verò
vocat opera deinceps à se ad gloriam
Dei futura, vt hac ratione se inflam-
met ad reliquum vitæ tempus maiore*
& ar-

Philip. 3.

*Chrys. in e 3.
ad Philip.*

PROFECTV SPIRITVALI. 53

& ardentiore studio transigendum, eo-
que magis, quo à meta & brauiò propi-
aberat, & certior spes affulgebat palmæ
cælestis aliquando confecto vitæ cur-
riculo obtinendæ.

Atque hæ sunt rationes, quæ vehe-
menter commouere possunt omnium
feruorum Dei animos, tum incipien-
tium, tum etiam eorum, qui in cultu
pietatis maximum progressum fece-
runt. Sunt tamen & nonnullæ aliæ ra-
tiones, his persimiles, quas summatim
hic perstringemus. Eas sanè æquum est,
vt omnes sedulò perpendamus, vt vi
& efficacitate earundem animati im-
pigri in profectu promouendo persista-
mus. Principio ergò, cum Deus sit is,
qui est, hoc est maiestatis bonitatisque
immensæ, totaque perfectione sua infi-
nitus, merito illi quoq; debetur infini-
tus cultus, infinitusque honor & glo-
ria: Cùm autem tantum cultum, tan-
tumque honorem illi deferre non pos-
simus, neque enim capaces sumus
virtutis infinitæ, prorsus æquum est,
vt quicquid seruitij & gloriæ pro vi-
rili nostra possumus, conuenienter vi-
ribus ab ipso Deo nobis concessis, il-
lius maiestati deferamus, atque ideo
in dies

in dies illi noua officia, nouosq; honores cum omnium virtutum incremento exhibere conemur.

Amor, quo DEVS nos amat, & ab æterno amauit, infinitus est: quia hic amor est ipsa diuina essentia. Rationi itaque admodum consentaneum est, vt quoniam amorem infinitum illi rependere non possumus, saltem amorem non coërceamus certis limitibus, sed in dies eundem exercitio orationis bonorumque operum augeamus, & quasi carbonibus accendamus, quibus diuini amoris flamma accendi, & conservari solet. Præterea cum beneficia ex hoc infinito amoris fonte profecta sint magnitudine immensa, & multitudine innumerabilia, singillatim autem beneficium nostræ redemptionis, quo omnia opera à CHRISTO facta, omnia verba ab eo enunciata, omnes pœnæ pro nobis toleratæ, ac denique omnia gratiæ, spiritualiumque charismatum dona comprehenduntur: extra omnem controuersiam est, non posse nos dignas tantis beneficijs gratias rependere, ac proinde æquissimum est, vt saltem, quantas animi

PROFECTV SPIRITVALI. 35

nimi nostri capere possunt, gratias referamus, beneficia accepta semper benè vsurpando, & fructum aliquem salutarem ex eis eliciendo, deinde diuinis eius mandatis ac consilijs obsequendo, hæc enim est gratiarum actio, & satisfactio, quam ab omnibus profectus sui studiosis postulat. Et quoniam quicquid hætenus à nobis factum est, exiguum quiddam est, si conferatur cum dignitate meritorum, iure exigit quoque, vt quotidie in bono omnium istorum beneficiorum vsu, & præceptorum consiliorumque obseruatione incrementum sumamus.

DEVS adhuc lege sua sanctissima tantam animi puritatem, cordisque munditiem nobis imperat, nempe vt nulla eam vel lethali, vel veniali culpa inquinemus, quantam certè, quæ imbecillitas nostra est, assequi non possumus: quis enim audeat dicere, se immunem ab omni sorde peccati? Quare minimum cenari debemus, vt saltem in singulos dies, quoad fieri potest, animam nostram, à peccatis, in quæ fortè incidimus, per pœnitentiam expurgemus, reseruando propositum per studium, & feruo-

feruo-

36 TRACTATUS DE

feruorem bonorum operum, de cætero diligentius omnis generis peccata fugiendi.

Gratiæ etiam internæ venustas & dignitas, quàm in hac vita, bonorum operum exercitatione ab eadem ipsa gratia profecta, cõsequimur, tanti pretij est, vt verbis exprimi nequeat: præmium quoq; gloriæ, quòd bonorum operum merito in vita æterna debetur, tam nobile est, & sublime, vti omnem humanam intelligentiam longissimè excedat. Vera igitur prudentia & sapientia extorquet à nobis, vt cum sollicitudine quotidie in bonis operibus proficiamus, bonaque vitæ merita ardentibus desiderijs Deo placendi multiplicemus: vt sic maior in nobis ad gratiã diuinam accessio fiat, quæ locupletet & exornet animam nostram, remunerationemq; æternæ gloriæ cumulationem reddat, cuius beneficio & Deum amplius glorificabimus, & perfectius conspectu eius in cælo perfruemur. Tempus siquidem huius vitæ, in quo solo mereri aliquid possumus, breue est, & hora mortis, quæ omnem merendi facultatem abscindit, tam incerta & anceps est, vt meritò maximam

mam iacturam fecisse dicendus sit, qui vel minimam temporis particulam sine aliquo boni operis fructu transmiserit, quandoquidem quolibet puncto temporis bene impensi, gratiæ acceptæ thesauros ipsamque gloriam æternam adaugere possimus.

CAPVT VII.

Quam necessaria & salutaris sit doctrina de progressu in dies faciendo in vita piè sancteque inchoata.

QVISQVIS probè cognouerit, quam necessarium sit ijs, qui DEO seruire cœperunt, proficiendi studium, quam gratum sit diuinæ maiestati, quamque Ecclesiæ sanctæ fructuosum, facile intelligit quam necessaria quoque, & salutaris sit doctrina de eodem argumento instituta. Neque enim dubium est, summè necessarium esse atque vtile, siue viuis sermonibus, siue libris scriptis fideles cohortari, vt à peccatis mortalibus abstineant, quæ homi-
nem

§ TRACTATUS DE

nem à Deo separant, mediaque præscribere, quibus, vbi lapsi fuerint, Deo reconcilientur. Sed neque minus necessarium est & vtile eos fideles, qui iã abstinent à talibus peccatis, cœperuntque seruire Deo animare, vt in virtutum studio benè inchoato progressum indies maiorem facere conentur, præsidiaque illis suggerere ad hoc institutum prosequendum salubria. Perexiguus enim boni operis fructus in nobis existeret, si simulatque initium fecissemus seruiendi Deo, mox in vetera vitia, vel etiam grauiora, relaberemur: & iam ex diuinis scripturis, Patrumque Sanctorum dictis supra ostendimus, eos qui post inchoatam sanctam vitam non cõtendunt ad maiorem vitæ perfectionem, in manifestum periculum se conijcere regrediendi, & in pristina peccata relabendi. Ac vt concedamus aliquos in tepiditate sua persistere, nec fieri mox deteriores, tamen perspicuè antè probauimus, si spectemus & ampliorem Dei gloriam, & Ecclesiæ salutem, paucos seruos Dei in virtutum studio prouectos, pluris faciendos, quam multos languidos, & negligendos.

Cate-

PROFECTV SPIRITVALI. 59

Cæterum, vt ij, qui fundamenta cultus diuini iecerunt, in ædificio suo spiritali persistant, & in Ecclesia Christi multi numerentur, quibus cordi sit progressum facere in virtutum schola, necessarium est, vt in concionibus, & exhortationibus, quæ ad populum habentur, sæpenumero tractetur de adiunctis ad profectum spirituale idoneis. Et quia in cœtu fidelium multi esse solent, qui non admodum firmum propositum faciunt deserendæ vitæ peruersæ, scincereque deinceps seruiendi Deo, seriò & sedulo agatur de ijs, quæ commouere eos possint ad detestanda peccata lethalia, & ingrediendam vitam inculpatam. Et rursus, quia in eodem non desunt alij, qui firmiter decreuerunt Deo seruire, sæpe seriò agatur de ijs, quæ eos permoueant ad amplectenda CHRISTI consilia, vtpote ab æterna sapientia profecta, & ad vsurpandam orationem mentalem, mortificationem, piorum librorum lectionem, ad exercendas quoque virtutes humilitatis, secundum perfectissimum earum gradum, denique ad cauendas occasiones omnes, & pericula peccandi. His enim
medijs

60 TRACTATUS DE

medijs gratiam diuinam conseruamus, & fructum in seruitio diuino facimus.

Speciatim autem necessarium est in ijsdem concionibus tradere documenta ad cauenda delicta venialia opportuna: nam inter omnia præsidia ad fouendam augendamque gratiam atque virtutes in eorum animis, qui cœperunt seruire DEO, principem facile locum tenet, studium assidue à lapsibus venialibus mentem expurgandi, eo quod eam debilitent, & disponant ad lethales. Id si in concionibus præstandum est, in libris quoque, qui ad fructum spirituales, animorum eduntur præstari debet, vt sicut certi exstant, qui data opera conscripti sunt ad extrahendos homines è peccatorum sordibus, & complectendum studium virtutum: sic non desiderentur alij, qui data opera doctrinam tradant congruentem ijs, qui iam virtutum viam ingressi sunt, & indies ad perfectionem maiorem aspirant. Hoc doctrinæ in Ecclesia necessariæ discrimen, ex dissimili fidelium dispositione natum declarat S. Paulus scribens ad Hebræos, cum ait, quosdam fideles esse paruulos, quibus lacte

opus

Heb. 5.6.

PROFECTV SPIRITVALI. &

opus sit, non solido cibo, indigereque vt deceantur, quæ sint elementa exordij sermonum Dei, hoc est prima doctrinæ Christianæ principia, quæ sunt: Pœnitentiã agere, peccata mortalia fugere, vsurpare Sacramenta ad salutem necessaria. Addit hos expertis esse sermonis iustitiã, hoc est, vt exponit Beatus Anselmus, doctrinæ quæ conuenit perfectis, vel vt Cardinalis Cajetanus, doctrinæ quæ agit de profectu in virtute, & addit esse alios fideles in Ecclesia similes hominibus prouectæ ætatis, qui indigent cibo solido, hoc est, doctrina, quæ tradat modum faciendi progressum in studio virtutum, perueniendique ad earum culmen, & perfectionem caritatis: Nam, inquit, sicut lac præbetur infantibus, non vt sit perpetuus eorum cibus, sed tantum ad breue tempus, donec adolescãt, & solidioris cibi capaces sint, sic fidelibus in initio conuersionis traditur doctrina, quæ eos permoueat ad peccatorum mortalium odium, post eã vero cum cœperint serio seruire Deo, sublimior doctrina eis proponitur de progressu in omni virtute faciendo.

Anselm. & Cajetan. in c. 5. ad Heb.

Quamuis autem perdifficile sit multis

D

tis

62 TRACTATUS DE

tis hominibus persuadere, ut peruersam vitam deserant, & ad Deum ex animo conuertantur: tamen non minus difficile est persuadere multis seruis Dei, qui iam cœperunt seruire Deo, ut porro in cœpto cursu progrediantur: imò longè videtur difficilius, quia ad faciendum principium seruiendi Deo, sufficit vnus contritionis actus. firmūque propositum à noxa mortali abstinendi, quod quidem vnico temporis momēto, post vnicum verbum bonum auditum concipi potest: verum ad proficiendum, & perseverandum in vita sancta, opus est longa exercitatione in omni virtute, diuturna que & constanti pugna aduersus vitia, passiones, & tentationes inimici. Et experientia quotidiana docet multos esse, qui incipiant Deo seruire, paucos autem, qui in studio inchoato perseverent. Sic confitetur S. Bernardus, & confirmat S. Bonaventura, Multo, inquit, facilius reperies multos seculares conuerti ad bonum, quàm vnum quempiam de religiosiis transire ad melius. Rarissima avis in terris est, qui de gadu, quem fortè in religione semel attigerit, vel parum ascendat.

Cum ergo hic labor in seruitio diui-

no

*Bern. Ep. 96.
Bon. in phar.
ret. lib. 4. c.
27.*

PROFECTV SPIRITVALI. 6

no proficiendi ex vna parte tam necessarius, & salutaris sit vnicuique & toti mundo : ex altera verò parte difficile quidem, sed nō minus vtile, & necessarium, vt exstent libri de hoc argumento conscripti, inter optimos offerimus hunc præsentem tractatum, cum desiderio maiorem Dei gloriam, & salutē animarum eius lectione procurandi.

CAPVT VIII.

*De fructu spirituali, quem haurire possunt,
incipientes seruire Deo, ex hac doctrina
de ratione proficiendi in
virtute.*

AD finem huius tractatus vna adhuc cōmonfactio occurrit necessaria ijs, qui aut inceperunt, aut certè cogitauerunt incipere dare operam veræ pietati, nempe hæc. Vt qui iam viuendi consuetudinem iam dudum inierunt, si fortè incidant in conciones aut libellos, quorum sermo in eo vertitur, vt auditor vel lector auocetur à peccatis lethalibus non inde ansam capiant alicuius tepiditatis, & arbitrentur, nec sibi longius esse progrediendum, cum cerè, vt diximus, longius

gius progredi debeant, hoc est, etiam a leuioribus lapsi hi, qui lethales non sint, cauere, & optimis operibus Deo, gratissimis, etiamsi sub poena æternæ damnationis mandata non sint vacare. Et contra, qui vel iam primum inchoarunt, vel inchoare cogitarunt sanctam viuendi rationem, non ilicò terreatur, vel animum despondeant, si incidant in conciones vel libellos, quibus studium in virtute proficiendi, & ad culmen perfectionis contendendi inculcatur, existimantes nimis arduam & difficilem esse virtutū viam, & quam centesimus quisque mortalium vix assequi possit. Neque enim ille in virtute progressus proponitur tanquam ad salutem consequendam prorsus necessarius, sed tanquam valde utilis, & salutaris. Qui enim ad hanc perfectionem vitæ contendunt, puriorem à peccatis conseruant animum, & securiorem sibi reddunt suam salutem, & maiorem gratiam, gloriamque apud Deum promerentur: deinde in hac vita ampliore pace, & consolatione, quam Deus mūdis corde impertit, perfruuntur, & aliorum donorum spiritualium penè innumetabilium, quæ Deus communicare solet

solet omnibus in virtute proficientib. participes fiunt, vt supra diximus, & deinceps latius exponemus.

Itaque non habent, quod idcirco de sua salute desperent: hunc verò fructū ex hac consideratione carpere possunt, vt sese humiliant, submissius de se sentiant, dum animaduertunt se tam longe abesse, à pietatis officijs, quæ diuinæ maiestatis excellentia meretur: totoque pectore gaudeant non deesse Deo in Ecclesia pios seruos, qui cum tanta perfectione vitæ Christianæ illi seruiant, gratiasque agant, se illum sensum & notitiam consecutos: nam lætari de profectu & perfectione aliorum, propter gloriam, quæ inde in Deū redundat, est quodammodo participem fieri & profectus & perfectionis ipsorum. Deinde & alium fructum inde carpere queunt, nempe vt magno studio & sollicitudine in precibus suis ad Deam fuis ob oculos ponant suam imbecillitatem, enixeque petant efficacem voluntatem, & robur spiritale in diuino suo seruitio proficiendi, ac certò confidant, quod si in oratione constanter perseuerarint, se donum ex liberali, & misericordie eius manu acceptu-

ros, studiumque proficiendi, quod iam apparet arduum & difficile, & primo aspectu terret, facile & suaue futuram, ac ex cogitatione, quod in dies in bono tam ineffabili, ut est amor Dei, maiorem semper accessionem facere poterint, incredibilem capturos voluptatem.

Considerare siquidem debent hanc viuendi rationem non viribus hominis naturalibus perfici, sed diuinis à Christo Domino collatis. Ille enim omnibus proficiendi studio ardentibus libenter & perliberaliter gratiam suam communicat, qua res arduas reddat faciles, amaras, dulces, & graues leues. Considerent etiam in Christi Domini nostri Ecclesia semper fuisse, & adhuc esse innumeros homines in omni sexu & statu, in virtutum cultu admodum prouectos, qui eandem aliquando difficultatem, quam illi nunc experiuntur, in colenda vera pietate senserint, sed quia cum ingenti fiducia erga Christum iter illud spiritualis progressus ingressi sunt, eodem propitio, & adiuuante, admodum planum & iucundum esse deprehenderunt.

Consideret & quilibet sigillatim, quæ Deus ipsi bona contulerit, quam
mult

multa aliter se habuerint, quam iam habeant, quomodo olim multa vitia amârit, quæ iam horreat, quomodo olim, ne minimam quidem orationem facere, nec missam, vel concionem audire sine distractione animi potuerit, nunc autem voluptatem etiam capiat, ex orationibus faciendis, & officijs diuinis, concionibusq; audiendis. Itaque sicut Deus hæc in ipso operatus est sine vlllo suo merito, cum longissimè à salute abesset, eumq; à peccato ad gratiam, à morte ad vitam pertraxerit, & à carnalibus desiderijs ad obsequendum diuinis inspirationibus, prorsus confidendum est, quòd multo magis eum deducere possit è bono statu in meliorem, adiuuante diuina gratia.

Hæc tentatione terroris, & trepidationis inanis pulsatus quoque fuit Augustinus initio suæ conuersionis, eamque dictis considerationibus expugnauit. Principio videbatur illi nimis ardua puritas legis Euangelicæ, & maximè perpetuæ continentiæ obseruatio, animumque despondebat, se non posse pertingere ad tam gloriosam carnis victoriam. Cum igitur timidus & desperabundus in illa cogitatio-

*Aug. l. 8. con-
fess. c. 11.*

62 TRACTATUS DE

ne hæreret, sedulo expendere cœpit in
Ecclesia Christi non modo extirpasse, &
esse graues & fortes viros, qui grauissi-
mis pœnitentijs corpora sua castiga-
rent, & ad culmen omnium virtutum
peruenissent, perpetuamque castitatem
coluissent, vti erat S. Antonius, & alij
eius imitatores, verum etiam innume-
ros adolescentulos, virgines, & viduas,
ac teneræ ætatis puellos, & puellas, qui
perpetuam continentiam custodirent,
alacresque ad vitæ Euangelicæ perfe-
ctionem contenderent, ac tandem cor-
eius sic illum alloquebatur. *Tu non po-
teris quod isti, & istæ? an verò isti & istæ
in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo
suo. Quid in te stas, & non stas? Projice te
in eum, noli metuere, non se subtrahet, vt
cadas. Projice te securus, excipiet te; &
saluabit. Considerabat nimirum san-
ctus ille mutationem, quam Deus in
Ecclesia fecerat, & quotidie faciebat
conuertendo magnos peccatores in
heroes sanctissimos. Atque hæc con-
templatio omnem languorem illi ade-
merat, formidinemque inanem discuf-
ferat, ingentem quoque animum illi
addebat proficiendi de virtute in virtu-
tem, firmissimam spem dabat Christum
sibi*

PROFECTV SPIRITVALLI. 69

sibi affuturum. Sic ipse fatetur in alio loco his verbis:

Exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ vrebant, & absumebant grauem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos validè, vt omnis ex lingua subdola contradictionis, flatus inflammare nos acrimus possët, non extinguere. Atque hi sunt fructus, quos homines considerati hauriunt ex hac doctrina, quæ tradit rationem in virtute proficiendi.

Atque illi quidem, qui viuo desiderio ardent sui profectus, (quibus hæc doctrina admodum est necessaria, nec paruo numero reperiuntur in Dei Ecclesia) ex illa hauriunt certam & perspicuam notitiam perfectionis cuiusq; virtutis, ac media, quibus comparentur, tum robur eas opere ipso exercendi, dum vniuscuiusq; virtutis dotes considerantur, & remedia contra tentationes tepiditatis, atque arma ad repellendos virtutis hostes, lumen quoque ad cognoscendas fugiendasque imposturas, quibus Satan conatur impedire profectum nostrum in diuino seruitio, ac demum, in quo natura profectus spi-

D 5 ritalis

70 TRACT. DE PROF. SPIR.

ritalis consistat. Quibus verò non inest illud viuum proficiendi desiderium, ex hac doctrina discunt humilitatem, & confusionem sui, vt diximus, qui fructus tam præstans est, vt Deus propter illam sæpè communicet viuum desiderium proficiendi.

Vt verò ex lectione huius libri similes iam dictis colligi queant fructus, rogamus Christianū lectorem, vt cum desiderio proficiendi illum perlegat: nec enim dubitamus, Deum Optimum Maxim. necessaria præsidia ei suppeditaturum, vt ad maiorem suæ diuinæ maiestatis honorem & gloriam aliquando reipsa, quod ex animo desiderauit, exequatur.

TRA-